



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIII. Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contraria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

Zumel, & aliis, aliud esse jus amicitiae, & pietatis, quod solum movet juxta benevolentiam donantis: & aliud esse jus justitiae, quod solum movet juxta valorem, & bonitatem operum.

327. Sed contra, quia opera humana quod plus alliciunt voluntatis divinae benevolentiam, eò plus valent apud Deum; siquidem obsequia humana non sunt Deo utilia, nisi quoad ejus benevolentiam, & gaudium; ergo si opera Sanctioris magis alliciunt benevolentiam divinam, sunt magis meritoria apud Deum; siquidem quae sunt Deo gratiora, meliora aestimantur apud ipsum; quae autem meliora aestimantur, melioris, sive majoris praemii obligationem inducunt.

328. Secundò, quia apud Principem, & Republicam, ut supra diximus, plus valent, cæteris partibus, Nobilium labores, quàm ignobilium, solum quia dignitas personae superior est; sed quò quis sanctior est, eò nobilior est apud Deum; ergo eò plus apud Deum valent ejus opera. Dicunt in Nobilibus id provenire, quia eorum cognita & à se, & à Principe dignitas causa est, ut opera sint aliis inaequalia, quatenus majores spes, commodioremque vitam æquali labore periculis exponunt cum majori Regis, ac Republicae gloria.

329. Sed contra, quia licet à milite ignoretur dignitas suae personae, æquum est, ut Princeps eam non ignorans, majori praemio afficiat ejus obsequia, quam aliorum; sic enim filius Regis si suum sanguinem ignorans, apud alium Regem, qui eum agnosceret, militaret, hic majori praemio ejus gesta, quàm aliorum honoraret; ergo ipsa dignitas secundum se, cæteris paribus, nobilitat opera personae ad majus praemium. Confirmatur, quia licet à justis ignoretur dignitas suae sanctitatis, opera tamen Sanctioris cedunt apud Deum in majorem gloriam, & benevolentiam; ergo etiam in majus praemium.

SECTIO XIII.

Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contraria.

330.  PROPOSITUM tenent *Medin. 1. 2. q. 114. art. 8. dub. ult. Cabrer. in 3. p. q. 1. d. 4. n. 41. Lorca in 3. p. d. 6. n. 13. Zumel. 1. 2. q. 114. art. 2. d. 3. & apud illum Can Gerson. & alii Recentiores. P. Valsq. tom. 1. in 3. p. d. 6. cap. 4. favet Scot. in 2. dist. 20. q. 1. & in 4. dist. 15. q. 1. tenent etiam P. Arriaga tom. 4. d. 55. sect. 4. & de Incarnat. d. 9. sect. 5. num. 45. P. Rhodez tom. 1. d. 4. q. 2. sect. 2. §. 2. pro quibus: Argues 1. Ex Scriptura variis in locis constat, prout supra vidi-mus, retribuendam esse mercedem unicuique secundum opera sua, quae gessit in corpore, id est, juxta operis, non autem gratiae quantitatem; ergo si opera sint aequalia in duobus justis, æqualis erit merces, sive praemium, licet gratia sit inaequalis.*

331. Respondeo, Deum quidem remunerare unumquemque secundum ejus opera, spectando tamen in singulis omnes ipsorum operum condiciones, quae ad eorum meritum conferunt, inter quas est dignitas personae operantis; hæc autem dignitas est ipsa gratia, quae licet non augeat opus quoad suam entitatem physicam, illud tamen augeat in esse, & aestimatione morali, ut cernitur in exemplo Christi Domini, cujus major, sive infinita dignitas meritum infinite auxit in opere, licet hoc in suo esse physico fuerit æquale operi alterius purae creaturae.

Argues 2. Gratia habitualis non confert per se ad meritum, nisi ut actus operans; siquidem per habitus neque meretur, neque demeretur; sed gratia habitualis non plus operatur in eo, in quo est magis intensa, quàm in eo, in quo est minus intensa; siquidem, ut supponimus, uterque æqualiter operatur; ergo ex eo, quod sit magis intensa, non augetur meritum, cum ejus major intensio habeat se materialiter, & concomitanter ad opus. Respondeo ad majorem, gratiam habitualem non conferre ad meritum influendo physice in actum, sed moraliter dignificando personam, & ejus actiones: cum autem major gratia magis dignificet, reddit actiones magis meritorias. Neque verum est, quod gratia solum materialiter, & concomitanter se habeat; siquidem etiam concurrat ad meritum tanquam circumstantia personae operantis; sicut etiam concurrat ad imperationem, & ad satisfactionem.

Institis: Gratia solum habet pro effectu dignificare personam; ergo non est illi tribuendus alius effectus augendi meritum. Respondeo gratiam dignificando personam concurrere etiam ad augmentum meriti, quatenus moraliter dignificat operationes ipsius personae ita dignificat operantis, illasque reddit majoris valoris morales. Patet exemplo contritionis, quae in homine justo est condigne meritoria augmenti gratiae; cum tamen in peccatore, qui gratia habituali caret, non sit meritoria, nisi de congruo, ut ipsi Adversarii sententur; ergo signum est, quod gratia habitualis dignificando personam confert aliquo modo ad meritum, & non habet se ad illud tantum per accidens.

Argues 3. Si gratia auget meritum, auget illud secundum mensuram propriae intensiois, sicque ad æqualitatem: Primò, quia illa secundum totam suam intensioem dignificaret: Secundò, quia esset tanquam causa formalis moralis, quae totam suam perfectionem debet communicare subiecto: Tertio, quia ob hanc rationem Persona Verbi communicat totum suum valorem operibus Christi Domini: Quarto, quia si unus justus excederet alium in uno indivisibili gratiae, tale indivisibile auget meritum illius justii juxta suum excessum, id est, in uno indivisibili intensiois; ac proinde si plus haberet gratiae, plus illum excederet in merito, consequenterque ad æqualitatem secundum mensuram propriae intensiois; sed non est admittendum, quod gratia auget meritum ad æqualitatem suae intensiois, sequeretur enim absurda infra ponenda n. 340, ergo &c.

Respondeo argumento, quo maxime fudit P. Arriaga, negando majorem; nam licet gratia personae operantis secundum omnes suos gradus suae intensiois illam dignificet, & conferat ad valorem actus meritorii, non tamen id praestat arithmetice, & secundum omnem suam æqualitatem, sed tantum geometricè, & secundum quandam proportionem prudenter definiendam, & jam definitam in ordine Providentiae Divinae. Neque obstant probationes majoris: Ad primam, dicimus, gratiam secundum totam suam intensioem dignificare personam ad meritum geometricè, non verò arithmetice: sicut actus ipse secundum totam suam intensioem meretur augmentum gratiae, non arithmetice, sed geometricè, & proportionaliter.

Ad secundam dicimus, gratiam habere quidem rationem causae formalis respectu personae, quam informat, & dignificat, & cui inhaeret, ut in subiecto; non autem respectu actuum: unde non tantum dignificat actum, quantum sanctificat perso-

nam, sed solum per quandam habitudinem, & respectum moralem; ac proinde non tantum valorem tribuit gratia actui, quanta ipsa est. Ad tertiam dicimus, Personam Verbi communicare totum suum valorem operibus Christi Domini, consequenterque infinitum, quia dignitas illa suppositi operantis est substantialis, & constituens ipsum suppositum per se operans: hoc autem non habet gratia habitualis, quae est accidentalis, ideoque opus non est, quod communicet operibus suppositi totum suum valorem ad aequalitatem.

337. Accedit, quod non eodem modo est dignitas in operibus Christi Domini, atque est in Persona Verbi; siquidem in hac est formaliter, & à se, atque essentialiter, sicque est longè majoris aestimationis moralis, quam in operibus Humanitatis, ubi tantum est denominativè, & ab alio. Deinde in Persona Verbi est, non solum moraliter, sed etiam physice: in operibus autem Christi solum moraliter; ergo simili modo majoris aestimationis erit valor moralis in gratia accidentali dignificante, quam in operibus, quae dignificat; consequenterque non confert ad augmentum meriti secundum totam suam intentionem arithmetice. Confirmari potest hæc solutio exemplo hominis, cui Deus per possibile, aut impossibile infunderet gratiam accidentalem infinitam; qui non idèd posset satisfacere de condigno pro peccato mortali, sicut potest satisfacere Christus Dominus.

338. Ad quartam dicimus, unum tantum indivisibile gratia non reddere hominem magis gratum; nam sicut indivisibile in ordine ad extensionem, non facit quantitatem magis extensam; ita etiam in ordine ad intensiorem, non facit qualitatem magis intensam; nisi addatur nova pars, sive gradus intensiorem; supponimus enim ex alibi dictis cum probabiliori sententia, in gradibus intensiorem qualitatem, etiam spiritualem, præter indivisibilia habere etiam partes intensivas, sicut quantitas suas habet partes extensivas. Adde, etià dato, quod unicum indivisibile dignificaret ad meritum, non idèd sequi dignificare secundum aequalitatem in ordine ad aliud indivisibile adæquatum promerendum, sed ad ejus partem proportionalem, nempe ad medietatem indivisibilis. Neque ullum est inconveniens, quod res physice indivisibilis possit moraliter aestimari ut divisibilis, & secundum partes, ut supra diximus de intensiorem actus meritorii, ubi diximus unum indivisibile argenti posse moraliter correspondere parti unius indivisibilis auri, quod licet physice partes non habeat, potest cum illis considerari moraliter.

339. Argues 4. Si ex majori gratia dignificante augetur meritum ad majus præmium, sequitur, per quemlibet actum etiam minimum, & remississimum duplicari totam gratiam præcedentem; sed hoc implicat, ut infra probabimus; ergo &c. Probatur major, quia si iustus dignificatus per primam gratiam ut unum, eliciat actum remissum ut unum, per illum merebitur de condigno, saltem unum gradum gratia, qui adjunctus præcedenti faciet gratiam intensam ut duo. Deinde dignificatus per gratiam ut duo, si eliciat alium actum minimum æqualem primo, aut per illum meretur unum tantum gradum gratia (non enim potest minus, cum gradus illi sint indivisibiles, ut supponimus,) aut plures: si unum; ergo major gratia non auget meritum ad majus præmium: si plures; ergo merebitur alios duos; siquidem gratia intensa ut duo dignificat actum ad præmium ut duo; ergo gratia adveniens ut duo alteri etiam ut duo adjuncta fa-

ciat gratiam intensam ut quatuor, ex qua si homo dignificatus eliciat alium actum æqualem cuilibet ex præcedentibus, merebitur gratiam intensam ut quatuor ob rationem assignatam, sicque de aliis actibus, per quos semper gratia duplicabitur.

340. Probatur minor, quia si per quemlibet actum etiam minimum, & remississimum duplicaretur tota gratia præcedens, sequeretur: Primò, hominem iustum per unum actum, etiam minimæ virtutis, & valde remissum in fine vitæ elicitum, tantum mereri, quantum per totam vitam sanctis, & acerbissimis laboribus, imò & Sacramentis frequentissimè receptis, acquisierat. Secundò, si Petrus, & Paulus pro tota vita æqualiter mererentur, & in fine vitæ æqualem gratiam haberent, Petrus autem, & non ita Paulus, eliceret unum actum, etiam minimæ virtutis, & valde remissum, Petrum per illum actum tantam gratiam de novo habiturum, quantum Paulus pro tota vita multis orationibus, jejuniis, laboribus, & Sacramentis acquisierat; siquidem ille actus maneret æquipollens in merito æqualis omnibus illis operibus; sed hæc sunt absurda manifesta; ergo &c.

341. Respondeo primò juxta opinionem, quam secutus sumus in *Phyl. tract. 3. d. 1. à num. 68.* de compositione Continui ex partibus in infinitum divisibilibus, & juxta ea, quæ supra diximus à num. 335. ex majori gratia dignificante duplicari, & augeri meritum, & per meritum ipsam gratiam geometricè, & proportionaliter; non autem arithmetice, & ad aequalitatem. Undè neque argumentum, neque quæ ab illo volunt Adversarii deducere, habent vim in nostra sententia, quæ nullam tum in extensione, tum in intensiorem admittit partem minimam, quæ non possit in infinitum dividi in alias minimis minores; ac proinde si gratia dignificans habeat 20 gradus, sive partes, ei correspondebunt in præmium alii 20. gradus, sive partes, sed minores præcedentibus, quod est augeri geometricè, & proportionaliter, non verò arithmetice, & ad aequalitatem.

342. In sententia verò Zenonistarum major datur difficultas; siquidem cum gratia solis constet indivisibilibus, quodlibet autem indivisibile secundum se dignificet, & non possit ad minus dignificare, quàm ad unum indivisibile, cum non detur aliquid minus indivisibili, videtur semper duplicandam esse gratiam ad aequalitatem, & arithmetice; ac proinde sequi supra dicta absurda.

343. Ut ab hac difficultate se expediant Adversarii Zenonistæ admittunt cum P. Arriaga intra latitudinem gratia sanctificantis dari diversas species inæquales in nobilitate, non quia admittant gradus etherogeneos, sed quatenus dicunt, gradus cujusunque speciei intra eandem speciem esse omogeneos; si tamen comparentur cum gradibus alterius speciei esse etherogeneos: sic enim gradus caloris sunt omogenei intra speciem caloris; non ita tamen si gradus caloris comparentur cum gradibus frigoris. Hoc posito.

344. Respondeo secundò ad argumentum juxta hanc sententiam, indivisibilibus gratia dignificantis correspondere quidem ex parte præmii totidem indivisibilia gratia, sed alterius speciei ignobilioris; quo pacto evitatur augmentum illud duplicatum ad aequalitatem per valorem inæqualem graduum correspondentium in præmium: sicut in sententia Aristotelica evitatur idem augmentum ad aequalitatem per inæqualitatem partium, quæ in præmium conferuntur. Undè corrui argumentum, & absurda ex illo deducta.

345. Advertunt tamen hi Authores, licet gratia data in præmium correspondens dignificationi sit ignobilior, quam gratia ipsa dignificans, ut evitetur duplicatio illa ad æqualitatem, gratiam tamen illam, quæ correspondet intrinseco valori actûs, debere esse æqualis valoris cum ipso actû; siquidem præter valorem correspondentem dignitati personæ operantis, debet aliquid aliud assignari pro valore præcisè ipsius actûs; alioqui tantû merebitur justus ut octo per actum ferventissimum charitatis, quantum per actum remississimû temperantiæ. Undè cum in hac gratia, quæ correspondet valori intrinseco actûs nõ detur inconveniens illud duplicandi gratiam ad æqualitatem, debet præmium debitum valori intrinseco actûs esse æquale in valore naturæ ipsius actûs.
346. Instabis: Valor proveniens actûi à gratiâ est ipsamet gratia inclusa in ipso actû reduplicativè ut dignificato; ergo implicat, quod gratia dignificans communicet actûi ut dignificato minorem valorem se ipsâ. Respondeo distinguendo consequens: implicat, quod gratia dignificans communicet actûi valorem in abstracto minorem seipsâ; concedo consequentiam: valorem in concreto; nego consequentiam.
347. Patet exemplo Sanctitatis Divinæ applicatæ animæ Christi Domini, quæ non reddit ipsam animam tam amabilem Deo, ac est ipsum Verbum; licet enim forma, seu quasi forma sit eadem, in applicatione tamen communicatur per modum defectibilem, ob quam causam anima Christi Domini est defectibiliter, sive accidentaliter Sancta, ideoque non est tam amabilis per ipsam Sanctitatem Increatam in concreto, ac est ipsamet Sanctitas, sive ipsum Verbum in abstracto; ergo similiter, quia gratia dignificans in abstracto habet suum valorem per essentiam, actûs verò illum habet per formam distinctam accidentaliter advenientem, non est inconveniens, quod gratia dignificans communicet actûi minorem valorem, quam ipsa habeat in se ipsâ in abstracto.
348. Argues 5. Si ex majori gratia augetur meritum ad majorem gratiam, & gloriam obtinendam, sequeretur, meritum justû in infinitum fore augendum, consequenterque ejus gratiam, & gloriam in infinitum augeri; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Probat sequela primò, quia justus eliciens actum meritorium est dignus præmio, & majori gratiâ, quam cum statim in eodem instanti recipiat; siquidem augmentum gratiæ, quod justus meretur, in eodem instanti ei tribuitur, ut supra diximus, statim fit habitualiter sanctior, & dignior; ergo si major sanctitas auget meritum, eò ipso, quod homo factus est sanctior, in eodem instanti, quod fit sanctior, augetur meritum talis actûs, quia jam est actus personæ sanctioris, & per augmentum talis meriti in eodem instanti augetur gratia, & ex tali gratia augetur meritum, & iterum gratia in eodem instanti, sicq; in infinitum. Secundo, quia si Petrus, & Paulus operentur simul, & unuspro alio mereatur, poterunt ad invicem augere sibi gratiam in infinitum; siquidem tunc gratia data Paulo interventu operis Petri, plus dignificabit opus ipsius Pauli, ut plus mereatur Petro; & gratia data Petro interventu operis Pauli, plus dignificabit opus ipsius Petri, ut plus mereatur Paulo, sicque poterunt ad invicem sibi mereri ex majori gratia majus augmentum gratiæ in infinitum; hæc autem sunt absurda; ergo &c.
349. Respondeo solutionem hujus argumenti pendere ex alia difficultate infra excitanda, & resol-
- venda: An scilicet gratia subsequens dignificet actum in ordine ad præmium, aut augmentum præmii? Interim negamus sequelam, & utramque ejus probationem; illud enim augmentum gratiæ, quod ratione actûs meritorii de novo infunditur, cum sit subsequens ipsum actum, non potest augere ejus meritum, ad hoc enim debebat tale augmentum esse circumstantia ipsius actûs, & hic procedere à persona ut dignificata per illud, cum tamen non procedat, est enim actus prior ipso augmento. Undè ex tali augmento non sequitur novum meritum, neque ex novo merito novum augmentum gratiæ, sicq; in infinitum; alioqui idem actus esset sibi causa sui meriti, seu augmenti illius, & præmium esset sui ipsius meritum, quod non est dicendum; ac proinde non sequitur processus ille infinitus utriusque probationis.
- Argues 6. Actus bonus, & honestus non fit magis laudabilis ex majori gratia operantis; ergo neque magis meritorius. Respondeo primò negando antecedens, si justus habeat notitiam suæ majoris gratiæ, & dignitatis; laudabilior enim est, qui majorem suam dignitatem sciens, & prudens offert se in obsequium alterius, quam qui minorem habet: sic enim laudabilior foret ille, qui in majori dignitate constitutus se demitteret ad lavandum pedes alterius, quam, qui in minori nobilitatis gradu idem omnino opus efficeret.
- Respondeo secundò (si justus suæ justitiæ, seu gratiæ, & sanctitatis notitiam non habeat, ut nullo certam habet,) dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia laudabilitas provenit à libertate actûs: valor autem condignus operis à dignitate, sive gratia operantis; cum verò possit stare major gratia cum minori libertate in operante, potest augeri vis meritoria de condigno, quin augeatur laudabilitas. Patet, nam si quis cum æquali advertentia, & libertate eliceret actum eundem in specie, & intensione, ac elievit Virgo Sanctissima, imò & Christus Dominus (præcindendo à scientia, & cognitione, quam habebant de propria sanctitate,) diceretur operari æquè laudabiliter cum illis; siquidem eorum actûs essent æquè liberi; non tamen diceretur operari æquè meritorie; siquidem actûs Virginis Sanctissimæ, & Christi Domini essent à Personis majori gratia sanctificante dignificatis. Undè:
- Advertes, non posse stare meritum sine laudabilitate; posse tamen stare majus meritum sine majori laudabilitate. Imò posse cum æquali laudabilitate dari meritum condignum in uno actû ab uno homine elicitò, non ita tamen si ab alio eliciatur; sic enim eadem contritio elicit cum eadem advertentia, libertate, & intensio ne ab homine peccatore, & ab homine justo, in hoc est meritoria de condigno, non tamen in illo, licet in utroque sit æquè laudabilis; ergo &c.
- Instabis: Qui cum minori gratia operatur æquè intensè ac operatur alius cum majori, non est dignus minori, imò majori laude; siquidem cum minoribus gratiæ viribus æquè benè operatur, atque alius cum majori; ergo neque erit dignus minori, imò majori, aut saltem æquali præmio; siquidem major unius dignitas majori alterius diligentia, & industria compenlabitur. Respondeo primò negando antecedens, neque enim in illo homine habente minorem gratiam datur major laudabilitas, cum uterque æquè intensè operetur, ut supponitur; neque ipse apponit majorem industriam, & diligentiam; siquidem habitus supernaturales intensè & radicati in gratia, non inclinant ad actum, sicut

sicut acquisiti; dant enim posse simpliciter adinstar potentia naturalis, sed non dant facilius posse: unde neque habens gratiam, & habitus intensiores minus diligenter se habet, neque qui gratiam, & habitus remissiores, se habet magis diligenter: potest tamen ea inaequalitas propensionis, & major diligentia supplens minorem propensionem, & gratiam operantis ex inaequalitate gratiae actualis, seu auxiliantis provenire, in quo eventu non procedit nostra quaestio, sed positus aequalibus auxiliis; idem enim diximus *ceteris paribus*.

354. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam: nam etiam purus homo iustus eliciens actum amoris Dei aequè intentum, ac Christus Dominus, non esset dignus minori laude; & tamen non mereretur aequaliter, ut supra diximus. Similiter peccator, sicut & iustus, eliciens actum contritionis ut octò, non est dignus minori laude; & tamen ille non mereretur gratiam de condigno, sicut iste. Et hujus rei ratio est, quia, ut supra diximus, laudabilitas fundatur in solo opere bono aequali libertate, & intentione elicto; meritum autem de condigno sumitur ex circumstantia personae dignificatae per gratiam, aliisque supra numeratis.

355. Argues 7. Si major gratia auget meritum, sequeretur: Primò, hominem sanctiorem per actum remissum magis mereri, quam alium minus sanctum per actum valde intentum. Secundò, si gratia in operante esset infinite intensa, quemlibet ejus actum, etiam minimum, fore infinite meritorium, sicut fuit omnis actus in Christo Domino; sed haec sunt absurda; ergo &c. Respondeo negando primam sequelam, quia in facta suppositione cetera non sunt paria; quando autem dicimus, majorem gratiam augere meritum, intelligitur, ceteris paribus, ut supra diximus. Ratio verò, quod homo sanctior per actum remissum non magis meretur, quam minus Sanctus per actum intentum, ea est, quia gratia non dignificat secundum omnem suam aequalitatem, sed dum habitudine ad actum, sicque quando hic est magis intensus, majus datur meritum.

356. Ad secundam sequelam dicimus: Primò, gratiam infinitam non esse possibilem. Secundò, eam admittendam, non idem admittendum esse in operante meritum infinitum; siquidem gratia, cum sit accidentaliter supposito operanti, non auget valorem actus ad merendum praemium omnino aequale, sicut auget gratia substantialis Christi Domini, ut constat ex supra dictis. Et hinc est, quod purus homo, licet haberet gratiam infinitam, non satisfaceret de condigno pro peccato mortali, sicut Christus Dominus; ac proinde gratia illa infinita, si daretur, solum conferret ad merendum majus praemium, quam per quamcunque aliam gratiam finitam possent alii mereri. Tertiò, dato, quod esset possibile, & conferret ad meritum infinitum, nullum esse inconveniens, admissio uno impossibili, aliud ex illo sequendum admittere.

357. Argues 8. Ex majori gratia non crescit satisfactio in homine satisfaciente; ergo neque crescit meritum in merente. Respondeo negando antecedens, ex quo magis confirmatur, quam infirmatur tradita doctrina; potest enim sic retorqueri argumentum: Ex majori gratia major est in homine satisfactio; ergo etiam ex majori gratia operantis majus in eo erit meritum.

358. Argues 9. Licet cognitio praecedens ut conditio actum voluntatis constituat ipsam voluntatem liberam, illa tamen cognitio, quae est intensior, non

constituit voluntatem magis liberam; ergo etiam, licet gratia praecedens ut conditio constituat actum condignè meritorium, illa tamen, quae est intensior, non illum reddet magis condignè meritorium. Respondeo negando antecedens, ex quo etiam confirmatur tradita doctrina, potestque argumentum retorqueri, ut consideranti patebit.

359. Argues 10. Filiatio adoptiva licet ex intentione majoris gratiae crescat in ratione gratiae, non ita crescat in ratione dignitatis, quae in actus supernaturales transfundatur; siquidem semper procedunt à filio ut adoptivo, sive adoptio ipsa sit ex majori, sive ex minori gratia; ergo si non crescit in ratione dignitatis, non efficit personam dignam majori praemio; consequenterque ex majori gratia non augetur meritum ad majus praemium. Respondeo negando antecedens; licet enim iustus per quamcunque intentionem gratiae semper maneat filius adoptivus, mediante tamen majori intentione gratiae, licet non maneat magis filius, manet tamen filius magis gratus, magis dignus, magis sanctus, & amabilis. Imò ut fatetur ipse *P. Arriaga d. 55. num. 4.* non incongruè dici potest magis filius adoptivus; siquidem cum ipsa gratia sit formalis filiatio, quandiu illa augetur, etiam haec augeri dicitur.

360. Argues 11. Major indignitas personae peccantis non auget ejus demeritum in ordine ad majorem poenam infligendam; neque enim gravitas peccati de novo commissi augetur ex pluribus, & majoribus peccatis antecedentibus ad majorem poenam promerendam; ergo neque etiam major dignitas personae merentis ex majori gratia proveniens augetur ejus meritum ad majus praemium gratiae, & gloriae obtinendum. Huic argumento, quod Adversarii judicant capitale, variè variè respondent, ut videre est apud Doctores citatos, praesertim *P. Ripal. cit. à num. 38.* Igitur. Respondeo primò, argumentum, si valeret, etiam probare, dignitatem personae provenientem à gratia habituali, non esse necessariam ad merendum de condigno gratiam, & gloriam; siquidem indignitas personae proveniens à peccatis antecedentibus necessaria non est, ut peccatum de novo commissum mereatur de novo poenam; illud autem Adversarii non admittent; ergo si dignitas personae est necessaria ad merendum de condigno gratiam, & gloriam, licet indignitas personae ex peccatis antecedentibus non sit necessaria ad merendam poenam peccati commissi, etiam ex majori dignitate personae augetur ejus meritum ad majus praemium, licet ex majori illius indignitate non augetur ejus demeritum ad majorem poenam suscipiendam.

361. Respondeo secundò, dato absolute antecedente, negando consequentiam; diversa ratio desumenda est ex proximè dictis; nam sicut indignitas personae non arguit ejus demeritum, quia non requiritur ad demeritum condignum poenae, ita major indignitas non arguit majus demeritum: at verò è contra, sicut dignitas personae requiritur ad meritum condignum gratiae, & gloriae, ita major dignitas personae debet augere tale meritum; siquidem ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Et hujus ratio est, quia ad meritum condignum, cum sit quid bonum, plura requiruntur, quam ad demeritum, cum sit quid malum, idèdque ad hoc sufficit qualitas mali operis; ad illud verò non sufficit qualitas operis boni, sed etiam attenditur qualitas personae operantis, ut patet ex Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus supra adductis *d. 2. à n. 466.* Dixi dato absolute antecedente, quia inter homines gravior reputatur injuria, & digna majori poenà, quae

quæ inferitur Regi per personam vilioiorem, quàm per digniorem, ut alibi dicemus.

362. Respondeo tertio cum *P. Ripal. cit. n. 40.* negando antecedens, & ejus probationem, asserit enim, nullum esse absurdum admittere, peccatum subsequens ratione præcedentis peccati esse dignum majori penâ, quàm ea, quæ de facto puniuntur; siquidem cum Deus de facto puniat citra condignum, ut videntur omnes. Theologi cum *Magist. in 4. dist. 46. & D. Thom. ibid. q. 2. art. 2. q. 1. & 1. p. q. 21. art. 4. ad 1.* jure poterat infligere majorem penam eâ, quam de facto infligit, non solum ratione malitiæ peccato subsequenti intrinsicæ, sed etiâ ratione malitiæ antecedentis peccati; ex quo potius confirmatur, quàm infirmatur tradita doctrina.

363. Argues 12. Gratia non est per se dignitas alterius gratiæ, neque ut hæreditatis; siquidem sola gloria est hæreditas gratiæ respondens: neque ut coronæ; siquidem corona respondet merito; gratia autem non est per se meritum; ergo ex majori gratia non augetur meritum alterius gratiæ. Respondeo negando antecedens: ex gratia enim, quæ non est per se meritum alterius gratiæ, & ex opere, quod per se non respicit tale præmium; constitui potest dignitas meritoria novæ gratiæ ut coronæ; siquidem gratia, & opus honestum concurrunt simul ad constitutionem meriti, ut partes etherogenæ, in quibus conjunctim diversa est ratio ab ea, quæ eisdem divisim inest; sic enim componitur etiam meritum ex indifferentia voluntatis, quæ meritoria non est. & ex actu secundo præcedente à libertate, qui prout sic præmium non respicit.

364. Argues 13. Apud Deum non sunt majoris meriti opera, quæ à Sacerdote, & Episcopo fiunt; & tamen dignitas Sacerdotalis, & Episcopalis plurimè apud Deum habentur. Item apud homines in publicis ludis equestribus, & poetis, jure præferuntur à iudicibus insignis equorum domitor, egregiusque poeta omnibus aliis, qui ipsos nobilitate, ac judicium familiaritate excedunt; ergo ex majori dignitate gratiæ non fit augmentum meriti, & præmii apud Deum. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cum gratia simul cum opere constituat meritum, idèd major gratia cum eodem opere constituit majus meritum: at verò aliarum dignitates, cum non efficiant cum opere meritum, quod solo ipso opere non fiat, idèd simul cum eodem opere ejus meritum non augent, sed per accidens se habent.

365. Et ratio cur gratia constituat meritum, non ita verò aliæ dignitates, est. Primò, quia gratia in ordine supernaturali gerit munus naturæ: aliæ verò dignitates funguntur munere accidentium. Secundò, quia meritum apud Deum pensatur ex bonitate operis terminante majorem, aut minorem benevolentiam Dei; ad hanc autem maximè conducit dignitas gratiæ habitualis: at verò meritum apud homines in illis publicis certaminibus pensatur ex majori vel minori utilitate, aut convenientia ad varios fines Reipublicæ; hæc autem major utilitas tota est in ipso opere secundum se.

SECTIO XIV.

Conclusiones aliqua ex præcedenti doctrinâ resolvuntur.

366. **C**ONCLUSIO I. Ut actus meritorius dignificetur, non requiritur, quod forma dignificans sit causa physice influens in ipsum actum. Probatum primò, quia si

gratia sanctificans distinguitur ab habitu charitatis, probabilis est sententia docens, gratiam non influere physice in actus supernaturales; & tamen illos dignificat in ordine ad meritum gratiæ, & gloriæ; ergo &c. Secundò, quia in humanis, ut persona nobilis elicit actus magis meritorios, & magis condignos, quàm alia persona ignobilis, non requiritur, quod ejus nobilitas physice in illos influat, sed satis est, quod ab eo procedant aliudè dignificato per suam nobilitatem, à qua consequentur suam proportionatam condignitatem; ergo idem dicendum erit de actu supernaturali ab homine per gratiam dignificato procedente; si enim gratia ad illum concurrat physice, si non, semper ab illa condignitatem accipiet ad meritum sufficientem.

367. **C**ONCLUSIO 2. Actus meritorius non potest dignificari ad augmentum gratiæ per ipsam gratiam, cujus est meritum. Ita Doctores infra citandi *d. 4. num. 35.* Probatum, quia sicut principium meriti non potest cadere sub meritum, ita id, quod cadit sub meritum, non potest esse principium meriti; sed gratia data in præmium cadit sub meritum; ergo augmentum gratiæ, quod datur in præmium, non potest esse principium ejusdem meriti, datus illi valorem, & condignitatem; alioqui esset meritum, & præmium sui ipsius. Confirmatur, quia meritum est causa moralis movens præmiantem ad præmium conferendum, cujus collatio est ejus effectus; sed omnis effectus supponit suam causam; ergo meriti condignitas supponitur ad præmium; ac proinde non potest ab ipso præmio, quod est posterius, provenire.

368. Dicent, condignitatem talis actus meritorii non posse provenire à gratia data in præmium in ordine ad promerendam ipsammet gratiam jam in præmium datam; maximè tamen in ordine ad promerendam aliam gratiam; siquidem tunc constat ex actu, & unâ gratiâ antecedere aliam gratiam. Sed contra primò, quia gratia in tantum dignificat actum, in quantum addit excellentiâ, & dignitatem operanti; sed non est excellentia, neque dignitas operantis, ut operantis, nisi illa, quæ antecedit ejus operationem; ergo cum gratia data in præmium unius actus, non antecedit ejus operationem, ut potè quæ ipsum actum non antecedit, non potest illum dignificare, neque ad aliam gratiam, si ve ad aliud præmium per ipsum actum obtinendum.

369. Secundò, quia si unus, & idem actus posset dignificari à gratia *A.* datâ in præmium ad promerendam gratiam *B.* sequeretur, hominem justum uno, eodemque actu posse mereri gratiam infinitam; siquidem non assignabitur major ratio, cur idem actus non possit sic dignificari per gratiam *B.* ad promerendam gratiam *C.* sicque in infinitum; ac proinde in eodem instanti (in eodem enim tribuit Deus gratiam, quæ meretur, ut supra diximus,) per unum actum, etiam infinitum merebitur homo justus gratiam infinitam; sequela autem non est admittenda; ergo &c.

370. Tertio, quia præmians ad remunerandum solum movetur illo, quod merens offert, & offert quasi de suo, distinctum ab ipso præmio; sed merens, ut merens, non offert, neque offert quasi de suo id, quod accipit in præmium, & est subsequens ipsam operationem; per hanc enim solum offert, & offert id, quod antecedenter est suum; præmium autem antecedenter non est suum; ergo id, quod est præmium, non potest addere actui condignitatem ad aliud præmium.

371. **C**ONCLUSIO 3. Gratia, ut dignificet actum merito-